

tes maxime in his consistit, ut discernat conditiones, et qualitates personarum: non enim omnes eodem modo, et tenore excipiendæ sunt; sed aliæ maxima cum benignitate, et humanitate monendæ, aliæ acriter compescendæ; aliis opportune est suadendum, aliis importune insistendum; aliis beneficium absolutionis differendum, aliis immediate impendendum: aliis mitiores, et leviores etiam ob eadem, et similia peccata sunt poenitentiae imponendæ, et aliis graviores, dummodo non sint plus quam par est, atroces et arduæ, ne, dum illi compescere student delinquentes, ipsos in desperationem conjiciant, ita ut graviori, ne dicam gravissima mole perterriti, onus universum projiciant. (60. Prudentia Confessarii est, ut omnibus omnia sit factus, sit pro diversis diversus medicus, diversus Doctor, diversus Judex. (61. Diversus medicus ut juxta cap. *Omnis utriusque sexus*, de poenit. et remission. More periti medici superinfundat vinum, et oleum vulneribus sauciati, juxta diversitatem vulnerum, et vulnerati, leviter objurgando poenitentem, ubi humilem, et contritum invenerit, et acriter arguendo, ubi contumacem, et recidive delinquentem agnoverit. (62. Diversus Doctor, ut juxta diversitatem delinquentium et delictorum, diversas instructiones, et correctiones ad diver-

logia tot, tantasque questiones, quæ a Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum notitia pendent, complectatur, ut ardua plane res sit, posse aliquem omnia simul bene nosse, atque illico nodos quoscumque dissolvere; ut ii solent, qui eminenti scientia præfulgent. Sat igitur erit; si inferioris note Confessarii, ope librorum, quos consulant, difficiliora quadam, quæ in Sacramenti administratione occurrunt, rite expediant. Et adductis pro sua sententia verbis Innoc. IV. in Comment. ad C. *Cum in cunctis*, de Elect. et elect. potestate, subdit: Cum igitur aut difficilior, aut nova quædam facti species ad Confessarium deferretur, ideoque libros evolvere illi necesse sit, non sine sobrietate, ac librorum delectu id agendum. Notum quippe est, in tanto scriptorum numero aliquos prodisse, quorum opinio ac sententia Evangelicæ simplicitati (N. B.) ac Sanctorum Patrum doctrinæ non bene consonat. Profert ad rem verba decreti Alex. VII. additque: « Nolumus hæc in re pressiore Sermonem instituere; nolimus vexatissimas questiones, quæ circa scriptorum fidem, eorumque integritatem agitantur, attingere. Sat erit Confessarios monuisse, ut in re dubia propriæ opinioni non innituntur: sed antequam causam dirimant libros consulant quamplurimos, eos cum primis, quorum doctrina solidior, ac deinde in eam descendant sententiam, quam ratio suadet, ac firmat auctoritas. » (I alicui, prout e calamo Piiissimi Pontificis prodiit: *prenda quel partito, che vedrà più assistito dalla ragione, e dall' autorità*, et quibus sane verbis probabilissimus profligari videtur.) Nec aliud sane docuimus (in nostra Encyclica super usuris etc.) Referenda hic essent alia, quæ in eadem leguntur Epistola ad Confessarii dotes et munera pertinentia, quæ ne ultra quam par est, longior evadat hæc nota, prætermittimus. Illud dumtaxat animadvertimus, laudari satis non posse zelum Pii Auctoris adversus Confessarios ignorantiam et socordiam exclamantis. Et ideo ab ejus sententia num. 52. et seq. firmata recedendum penitus non est, scilicet Confessarios ignaros, studio Moralis Theologiæ operam haud navantes, peccato lethali esse obnoxios. Scientia Confessario maxime est necessaria, illa cum primis,

sum captum, et exigentiam poenitentium accommodans caute adhibeat. (63. Diversus Judex, ut juxta diversa causarum merita sine ulla personarum acceptione juste sententiam absolutionis aliis impendat, aliis vero deneget, vel suspendat. Hæc etenim, et similia exiguntur in prudentia Confessarii, sive qua Medici, sive qua Doctoris, sive qua Judicis, juxta diversas personarum qualitates, et conditiones, ne quæ uni inserviunt ad medelam, aliis conferant ad ruinam.

(64. Prudentia Confessarii maxime requiritur in exequendis Brevibus sacræ Poenitentiarie, præsertim in certiorandis Conjugibus de nullitate consensus Matrimonii ob impedimentum dirimens, quando aliter eorum inscius contraxit, et in Brevi adest infrascripta, vel similis Clausula. « Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam delegatur, Matrimonium cum eadem, et uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala contrahere, etc., dispenses. » (65. Circa hunc casum plures Doctoribus traduntur modi certiorandi partem insciam, ut signanter videri possunt apud Sanchez de *Matrimon.* lib. 2, disp. 36. Quia tamen in praxi valde periculosa res est, poterit, et debet Confessarius, divino implorato lumine, modum illum suggerere, seu adhibere,

quæ non ex quibuscumque Moralis Theologiæ libellis deducitur: de his enim libris optime Celeberrimus Mabillon de Studiis Monasticis par. 2. c. 7. (*Edit. Venet. pag. 144.*) « Tantum abest, inquit, ut istorum Summistarum studium ad Christianæ Philosophiæ consecutionem quadrantenus dirigat, quod potius ex libera ipsos legendi facultate non modicum sequatur detrimentum... fructus longe major ex Ciceronis de officiis lectione hauritur, quam nonnullorum Summistarum. » Verum scientia, quæ Confessario decet, ex iis præsertim haurienda est fontibus, unde ea quæ a viro Christiano credenda et faciendæ sunt, ut vitam assequatur æternam, profluunt, videlicet a Scriptura, Traditione, Sacrisque Canonibus. Quapropter et pluribus Conciliis cautum est, ut Confessarii Scripturarum, et Canonum studio incumbant. Et ne in re palmari ostendenda immoremur, sufficiant verba Concilii Toletani IV. c. 25. ubi dicitur: « Sacerdotes legere Sanctas Scripturas frequenter admonentur: Paulo Apostolo dicente... sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, et canones, ut omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat. » T. 5. Conciliorum Edit. Labb. pag. 1751. Cæterum quoniam fieri vix, ac ne vix quidem potest, ut Confessarii, scientiam, qua ad Poenitentiae Sacramentum rite administrandum indigent, ex ipsis fontibus hauriant, non sunt omnino a Theologorum, qui morales Institutiones ediderunt, vel summas de *Conscientiæ Casibus* vulgarent, lectione avocandi, sed monendi, ut ex Theologicis Institutionibus, ac summis eas deligant, in quibus solidior doctrina traditur; « Omnes Confessores, inquit S. Carolus in Instructionibus pro Confessoribus Actor. Eccles. Mediolan. par. IV. edit. Lugdun. 1585. Tom. 1. pag. 644. seq. licet ut idonei a nobis admissi, ob varios tamen Casus qui difficiliores quotidie occurrunt, præ manibus quantum poterunt, habeant de Conscientiæ casibus libros bonos, et a nobis approbatos, et cum iis resolvendis ipsi soli non suffecerint, ad doctores, taliumque casuum magis peritos recurrant. » (*Nota ex Edit. Rom. 17. 67.*)

quem, omnibus pensatis, prudenter pro executione magis viderit expedire. (66. Licet enim plures Doctores apud Cardenas dissert. 11, num. 670, teneant non requiri talem certiorationem, sed sufficere ut sola pars conscia impedimenti consensum renovet, (67. tamen tenendum est, quod ad revalidandum Matrimonium sit necessaria certioratio nullitatis, saltem in genere, etiam apud inscium Conjugem, ut clare constat ex Clausula Brevis: « Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, etc. » et docent plusquam triginta Doctores apud Sanchez loco cit. num. 2 et apud Carden. loco cit., num. 671, et varii alii recentiores. Et ratio est, quia consensus fuit ex utraque parte illegitimus, et cum ignorantia circa substantiam contractus, et dantem causam contractui. (68. Sufficiens autem modus certiorationis nullitatis Matrimonii, et revalidationis ipsius, videtur inter alios ille, quem offert Sanchez loco cit., num. 5, et est, si Conjug impedimenti conscius petat ab alio sic: Me ita diligit, ut si non esset inter nos Matrimonium, denuo contraheres, ac ex nunc vis me in Conjugem, ac si non fuisset validum Matrimonium inter nos prius contractum, et respondeat alter: *Ita volo*; et qui interrogavit dicat: *Ita et ego*. (69. Notanter vero ponitur illud verbum de præsentis, *Volo ut ex nunc*, quia, ut optime observat Cardenas loco cit., num. 679 et cum aliis La Croix lib. 6 num. 814 non sufficeret dicere: « Si non consisteret inter nos Matrimonium, denuo contraherem, » qui non est consensus de præteritis hic et nunc contrahendi, qualis ad Matrimonium requiritur. (70. Ratio autem quare talis modus certiorationis esset sufficiens ad revalidandum Matrimonium, est, ut dicit ipse Sanchez et Cardenas ipsum referens, quia novus ille consensus conditionate adhibitus procedit ex cognitione æquivalenti scientiæ nullitatis Matrimonii; in isto enim casu vult Conjug inscius contrahere denuo Matrimonium sub ea conditione: si prius Matrimonium irritum fuit.

(71. Dato autem quod in quibusdam casibus, attenta natura, et qualitate Conjugis inscii impedimenti, gravissima necessitas evitandi extrema mala et scandala obstringat ad nullimode revelandum impedimentum, tunc optimum expediens erit, quod Conjug conscius impedimenti dicat, se non habuisse consensum, quando contraxit Matrimonium. Non enim sic dicendo mentiretur, quia prior ille consensus, ex quo ratione impedimenti fuerit nullus, re ipsa non fuit consensus. Et hoc expediens non rare pro-

(1) Numquam expediens est mentiri; cum id Auctore ipso fatente nunquam liceat. Conjug vero, qui impedimenti inscium Matrimonium bona fide contraxit, in Matrimonio ineundo sincera voluntate consensit; verum ergo consensum præstitit, qui non in alio quam in sincera voluntate contrahendi consistit. Si ergo dicat: Consensum non præstiti, dum Matrimonium contraxi, negat se voluntatem contrahendi habuisse, quam revera habuit. Ergo mentitur. Quis vero mendacium expediens optimum dicat? At: nullus erat ille consensus impedimente

desse poterit, ut recte advertit Cardenas loco cit., num. 680, et tenet Sanchez, loco cit., Claudius La Croix, loco cit. num. 814, in fine, et alii (1). (72. Et dato etiam insuper quod neque hoc expediens prævideretur profuturum, imo ratione variarum suspicionum, quæ possent oriri in parte inscia, graviora imminerent mala parti consciæ impedimenti, ut esset divortium quoad torum, et vinculum, ex quo prudenter timeret alteram partem esse dissensuram, vel exinde evenire gravissima scandala, et mala sibi, et proli, perpetuas inimicitias, mortes, etc.; tunc in his et similibus casibus ratione extremæ necessitatis evitandi talia gravissima mala, quæ non possent aliter evitari quam omitendo hujusmodi certiorationem, vel supradictam cautelam, seu expediens, et alia similia, poterit ad praxim deduci contraria sententia defensa a plusquam sexdecim gravibus Doctoribus relatis a P. Thom. Sanchez, lib. 2, de Matrimonio, disp. 36, num. 2, et a Cardenas, loco cit., num. 670, quod nempe non requiratur talis certioratio de nullitate præcedenti respectu Conjugis inscii, quando præcipue prudenter timentur talia gravia mala et scandala; (73. Et sic tenent etiam ipse num. 8, Cardenas loco cit., Sanchez, loco cit. num. 681. Diana, par. 4, tit. 4, resolut. 49. Monacelli, tom. 1, tit. 9, formul. 1, n. 53, et alii dicentes, quod quando nullo modo extorqueri posset consensus absque periculo, quod pars ignorans impedimentum detrectet, et suspicetur de Matrimonii nullitate, et inde prudenter timeantur gravissima mala supradicta, vel alia similia, tunc etiam absque verbis poterit denuo Matrimonium illud consistere, habita copula affectu maritali ex parte partis consciæ impedimenti, nam ex parte alterius partis inscia impedimenti, cum putet Matrimonium validum, constat copulam eo maritali affectu haberi.

(74. Et ratio est, quia licet ea opinio extra casum necessitatis parum probabilitatis habeat, accedente tamen gravissima necessitate, præcipue favore animæ, accrescit illi major probabilitas. (75. Unde cum in dubiis præferenda sit sententia animabus favens, videtur hanc opinionem in praxi sequi posse, præsertim cum supradicta Clausula de certioratione partis inscia non ponatur ut conditio necessaria, sed ad instructionem Confessarii, ex Sanchez, de Matrimon., lib. 8, disp. 24, n. 61. (76. Alias hæc dispensationes suo valore frustrarentur, quia sæpe contingit non posse nullitatem detegi, absque periculo detegendi delictum, ut advertit

interposito. At id Matrimonium nullum reddat, non vero consensum, qui verus est præsertim in eo, qui impedimentum ignorat, etsi effectu privetur ob incognitum impedimentum. Ergo dicendo, Non consensu, revera mentitur, ut mentiretur ille qui se ignem applicasse negaret alicui combustibili re, cui revera applicavit: quod ex applicatione illa optata combustio sequuta non sit. Vide ea quæ in art. de Accusato contra restrictiones mentales adnotavimus. (*Nota Rom. Theologi.*)

Monacelli, loc. cit., num. 57. Unde Diana, loc. cit., in hoc proposito sic præcise ait: « Sed quando timetur scandalum, aut grave damnum, neque ex aliquibus verbis generalibus Coniux potest a Marito consensum extorquere, tunc sufficit copula procedens ex affectu maritali, et in hoc casu puto sine scrupulo præferri posse secundam opinionem. » (77. Nec valet objicere cum Basilio Pontio lib. 4, de Matrim., cap. 25, n. 7, quod si opposita opinio revera probabilis est in praxi, etiam extra casum necessitatis poterit coniux illa uti. (78. Non valet, inquam, quia, ut recte respondet Cardenas, loc. cit., num. 682, id quod est indecens Sacramento extra casum necessitatis, ipsa extrema necessitas facit quod non sit indecens, maxime cum sit pro bono animæ; (79. Et patet in Sacramento Baptismi, in quo licet indecens et illicitum esset, et magna irreverentia irrogaretur Sacramento, si quis adhiberet lixivium, quando adesset copia aquæ naturalis, tamen hac aqua naturali deficiente, et in extrema necessitate, nulla fit irreverentia Sacramento, nec quid patretur illicitum; immo quia Sacramenta instituta sunt pro salute animarum, potius cedit in obsequium Sacramenti, cum istud applicatur pro salute animæ ex opinione probabiliter minus tuta, quando ex hac pendet salus animarum, et in extrema necessitate, et facit regula juris tit. 41, lib. 5 Decretalium cap. 2, ibi: « Quod non licitum in lege, necessitas facit licitum. » (1).

(80. Prudentia Confessarii potissimum requiritur cum in Confessione a Pœnitente Sponso vel Sponsæ ei aperitur aliquod impedimentum dirimens, et jam parata sunt omnia ad nuptias, nec potest ab illis abstinere ad evitandam suspicionem alicujus criminis, vel infamiæ inter Sponsos. (81. Tunc enim si impedimentum revera afferret infamiam, aut scandalum, posset pœnitenti Sponso vel Sponsæ consulere, ut statim voveret castitatem ad mensem, et deinde diceret consanguineis, aut etiam aliis, se voto Castitatis obstrictum esse, sibique a Confessario mandatum esse, ut abstineat a Matrimonio, donec obtineatur dispensatio a Sede Apostolica. (82. Et debet prudens Confessarius Pœnitentem monere, ne dicat votum esse ad mensem, seu ad tempus, ne audientes asserant sufficere dispensationem Episcopi, sicque remedium eludatur. Sic Barbosa, de offic. et potest. Episcop., par. 2 alleg. 35, num. 5. Felix Potestas, tom. 1, part. 4, cap. 5, num. 3625; et alii. (83. Si vero impedimentum esset ex illis, quæ non afferrent infamiam, aut scandalum, ut si esset ex copula licita, etc., tunc deberet monere pœnitentem, ut ipsemet illud manifestaret, et inde se retraheret, usquequo de remedio provideretur, vel penitus desistendo, vel dispensationem obtinendo; Felix Potest., tom. 1, loc. cit. par. 4. (84. Prudentia

(1) Vide Instructionem Parochorum, et aliorum Confessariorum pro casibus, pro quorum absolutione vel dispensatione recurrendum est ad sacram

Confessarii requiritur pro discernendo quando debeat, vel non, monere pœnitentem ignorantia alicujus gravis mali laborantem. Si enim orta aliqua dubitatione pœnitens Confessarium pro dilucidatione interroget, tenetur Confessarius veritatem aperire, et de sua obligatione, et malo statu pœnitentem monere, quia aliter silentium esset erroris et mali approbatio. Ita communis Doctorum. (85. Si autem pœnitens Confessarium non interroget, et Confessarius prudenter advertat ignorantiam esse vincibilem, et culpabilem, adhuc tenetur pœnitentem monere, quia reperitur in statu peccaminoso, et est indispositus ad absolutionem, unde non potest eum absolvere, nisi velit se emendare, et malum reparare. Est pariter communis. (86. Si vero Confessarius prudenter advertat ignorantiam esse invincibilem, quatenus v. g. bona fide Matrimonium contraxit cum impedimento dirimente, vel bona fide retinet rem alterius, et similia, tunc si omnibus perpensis prævideat, aut prudenter timeat, admonitionem suam non esse profuturam, ex quo pœnitens, ipsa monitione non obstante, adhuc sit cum Coniuge remansurus, vel non sit rem alterius restitutus, et hujusmodi, ipsum pœnitentem monere non debet, quia monitio caret suo justo et debito fine; imo monitio esset causa majoris mali, quia transferret pœnitentem de bona fide in malam fidem, et ubi prius erat in statu solius peccati materialis sine offensa Dei, constitueretur per ipsam monitionem etiam in statu peccati formalis cum offensa Dei; cap. Si quis 4, de pœnitentia, distinction. 7, ibi: « Si seirem tibi non prodesse, non te monerem, non terrerem. »

Nota Romani Theologi.

Scio, plures Probabilistas in eadem cum Auctore nostro opinione versari, ac palam docere non teneri Confessarios, nec monere Pœnitentes debere, qui hujusmodi ignorantia invicibili laborent, vel circa matrimonii impedimentum, vel circa rem alienam, quam bona fide possideant, aut erga alia hujus generis, dum admonitionem profuturam non esse prudenter timeant. At laxas esse, atque Christiano Theologo indignas hujusmodi opiniones, facile quisque intelliget, si animadvertat quæ Confessarii, quæque Peccatoris confitentis sint munia, dum hujusmodi Sacramentum administratur. Sicut enim Confessarii in hujusmodi Tribunali munus est Judicis, qui absolvit, vel ligat; medici, qui vulnera curat atque animi infirmitates; et Doctoris, qui instruit, docet, illuminat: ita Pœnitentis munus est ad hujusmodi Tribunal accedere, ut veluti subditus judicetur, ut tamquam infirmus curetur, et ut ignorans doceatur, et illuminetur. Necesse ergo est, ut Pœnitens ita sese Confessario exhibeat, ut huic compertum sit, Pœnitentiam, et nostras ad illam additiones verb. Pœnitentiarius.

Pœnitentiariam, et nostras ad illam additiones verb. Pœnitentiarius.

tem humili, demissoque animo Judicis sententiam suscepturum esse, salutarem medicinam exposcere, atque necessariæ doctrinæ, instructionisque avidum esse. Nam si animus in Pœnitente desit vel suscipiendi Judicis sententiam, vel spiritualis medici curationem, vel doctoris instructionem, dispositio illa deest, quæ necessaria est ad significandum detestari revera peccata omnia, ac paratam voluntatem esse ad ea faciendâ quæ Deus jubeat. Quis enim in homine eam animi præparationem concipiat, quæ sese a peccatis, et creaturis aversum, et conversum ad Deum ostendat, si hunc non ita paratum agnoscat, ut scire a doctore cupiat, quæ facere, quæque omittere debeat, ut Dei voluntatem adimpleat? Si enim ita sese homo Confessario exhibet, ut satis declaret paratum non esse ad omittendum Matrimonii usum, si hunc sciat illicitum, vel ad rem alienam proprio domino restituendam, quam ex invincibili errore suam esse putat: jam satis aperte ostendit paratum ei animum deesse ad peccata omnia detestanda, atque ad Dei voluntatem faciendam, quæ illicitum conjugii usum, illicitamque alienæ rei detentionem declarat. Ubi ergo dispositio, et necessaria animi præparatio est in Pœnitente illo, in quo instructio circa ea quæ invincibiliter ignorat peccata esse, et divinæ voluntati contraria, nil profutura deprehenditur? In hoc enim non modo amor Dei super omnia, ac peccati detestatio deesset, sed certum quoque appareret peccati affectus indicium, amor nempe sceleris ignorantia nubes obtecti, et animus in errore obstinatus, ut vel ex ipsis Probabilistarum momentis liquet. Præterea ignorantia hæc invicibilis haudquaquam esset: neque enim invicibilis illa ignorantia est, quæ apertam viam habet veritatem ignorantia oppositam agnoscendi. Pœnitenti autem, de quo loquimur, præsto hæc via esset, Confessarius scilicet paratus ad veritatem patefaciendam. Vinci ergo hæc ignorantia posset illius ope, qui doctor a Deo constitutus est, atque docere tenetur: neque enim sufficiens silentis causa est prævisio illa, qua novit, Pœnitentem veritatem amplexurum non esse. Imo conari etiam debet Confessarius, et Pœnitentem, quem ita in errore obfirmatum noverit, hortari tenetur, et objurgare, ut eam in illo animi præparationem excitet, quæ ad digne Sacramentum suscipiendum necessaria est. Omissa enim hæc instructio, doctoris munus negligeret; omissa hortatione, atque apta objurgatione, nec medicum, nec judicem se ostenderet. Quid vero, quod Augustinus ipse hanc eandem questionem iisdem ferme verbis versat, ac definit? Lib. de fide, et bon. oper., c. 7. « Quid si, inquit, virgo nesciens viro nupserit alieno? Hoc si semper nesciat, numquam ex hoc erit adultera; si autem sciat, jam ex hoc esse incipiet, ex quo cum alieno viro sciens cubaverit. Sicut in jure prædiorum tamdiu quisque bonæ fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum; cum vero scierit, nec aliena possessione recesserit,

tunc malæ fidei perhibetur, tunc juste injustus vocatur... Absit ergo, ut sensu non humano, sed plane vano, sic doleamus, cum flagitia corriguntur, tamquam connubia dirimantur maxime in Civitate Domini, in Monte Sancto ejus, hoc est in Ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro uxorem suam alteri tradere; quod in Republica tunc Romana non solum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur. Neque hinc diutius modo disputare opus est, cum et illi, quibus respondeo, non audeant affirmare nullum hoc esse peccatum; neque negent adulterium, ne ipsi Domino, sanctoque Evangelio aperte convincantur obsistere. » Vides ergo Augustinum non modo admonendam mulierem illam tradere, sed vanam etiam, et a Christiana Theologia alienam declarare contrariam opinionem, quæ monendam mulierem vetat, ne hæc correctæ sciens deinceps peccet.

Si Augustino teste non licet mulierem in errore illo invincibili relinquere, sed instruenda, ac monenda est, etiam si prævideatur correctionem haud profuturam esse, quis dicat Confessarium, cujus munus est docere ac illuminare eos qui ad ipsum accedunt, non teneri ad monendum pœnitentem de errore in quo versatur? Jam enim dixi, omitti monitionem non posse, quod inutilis, ac pœnitenti potius perniciose prævideatur: quia si ita illum paratum agnoscit, intelligat necesse est deesse in eo dispositionem ad recipiendam absolutionem necessariam. Immo dum de eo agitur, qui rei alienæ possessor deprehendatur, potior est ratio quæ Confessarium ad monendum adstringit. Nam hujusmodi pœnitens ex alienis bonis ditior factus agnoscitur, ideoque cum damno tertii. Quis vero fingat, Judicem Christi nomine sedentem, atque doctorem, non teneri ad instruendum eum quem de ignorantia novit alterius bona occupare, et cum aliorum jactura factum ditiores esse? Ubi enim in Confessario illo caritas illa esset, quæ damnum proximi impediri jubet? Ubi in Judice justitia appareret, quæ suum cuique tribuendum præcipit? Ubi denique in Doctore instructio, atque doctrina esset, quæ Dei legem, et naturæ præcepta ignorantibus exponit? Ait, hæc non profutura. At si ex pœnitentis dispositione intelligat nolle hunc aliena bona restituere, ac damna illata compensare, non potest non agnoscere desiderari in eo voluntatem servandi legem Dei; immo et hunc divinæ legis contemptorem esse: nam si Dei legem non contemnat, sed paratus sit totam legem servare, ut necessarium est ad recipiendam absolutionem, sperandum est, profuturam revera monitionem, quæ Dei legem ex ignorantia neglectam servandam jubet, ac illatum aliis damnum resarciendum. Si animadvertas, Confessarium non solo fraternæ correctionis præcepto teneri, quod est Christianis omnibus commune, sed præterea præcepto docendi eos qui ad ipsum accedunt, et expli-